

cum apud eum in insulâ Rhodo divertisset Pompejus, & fortè arderet podagræ doloribus, exclamavit: *O dolor, et iam si adhuc diutius me vexes, non tamen fatebor, hominem dolere:* sed jam satis se à dolore vexari fassus erat. Simile quid de Zenone Citi eo, magno Stoicæ porticus fulcimento, refert *Hesychius Illustrius de viris Claris* p. 24. his verbis, ex versione Meursij: *Hic dicere solebat in sapientem non cedere animi mæror em atque ægritudinem, cuius dicti constantiam periclitari votens rex Antigonus, subornavit, qui falso ipsi nuntiaret, agros ipsius ab hostibus direptos, uxorem cum liberis abduxit: quem cum rex vulnu dejecto mæstum anima advertisset: Viden, inquit, divitias non esse ex iis rebus, quibus neutram in partem moveri debeamus.* Adde exemplum Philosophi illius ob naufragium pallidi apud *Gell. lib. 19. cap. 1.* Rectissimeigitur Plutarchus in Commentario, quem de eorum repugnantiis scripsit, Stoicos eo nomine traduxit, quod aliter vivant, quam doceant: quem non refutat Scheurleus, cum commune hoc omnium Philosophorum, imò Christianorum fatum esse dicit *bibliogr. Mor. §. III.* Licet enim & alii interdum philosophâ sint sententiâ, at ignorâ operâ, etiam docent, quæ vivendo exprimere possint. At vero, quæ Stoicorum doctrina exigit, ut homo suis viribus præstare possit, est *admirator.* Nec mihi tam prudens quisquam persuaserit auctor, ut crediderim Senecam & Epictetum exactè omnes doctrinæ suæ numeros implevisse. De Seneca certè, quanquam in alia omnia eat J. Lipsius *Manud. 1. differt. 18.* res maxime est controversa. Vide quæ notavit *μαναεγέτης* Parensmus, Joh. Henr. Meibomius in *Macenate suo cap. 22. §. 4. &c.*

XXXIII. Nec obstant primitivæ Ecclesiæ Christiani, de quorum exquisitissimis tormentis & perpetuâ in iisdein constantia plena sunt omnia illius ævi monumenta.

Et